



I. N. J.
EXERCITATIO
PHILOSOPHICA
De
I G N E

Quam
In Illustri Gymnasio Luneburgensi

P R A E S I D E
PHILIPPO LOHMEIERO
Colleg. Equestr. Inspectore
& Prof. Publ.

Ventilationi publica Eruditornm
exponet

BERNHARDUS Olfen/
Hamburgensis.

Die 19 Martii Anno 1680.

HAMBURGI,
Typis GEORGII REBENLINI, Senatus
& Scholar, Typogr.



VIRIS
MAGNIFICO, NOBILISSIMO, PLURI^{num} RE-
VERENDO, PRUDENTISSIMIS SPE-
CTATISSIMIS QVE

DNO. JOHANNI Schulß / J. U. L.
CONSULI CIVITATIS HAMBURGENSIS
MERITISSIMO,

DNO. HERMANNO A PETKUM,
PASTORI PRIMARIO ad D. PETRI & PAULI
FIDELISSIMO,

DNO. CASPARO Westerman / J.U.L.
SENATORI PRUDENTISSIMO CIVI-
TATIS HAMBURGENSIS,

DNO. JOACHIMO Anckelman /
DNO. CHRISTIANO Busch /
JURATIS S. CORPORIS ad D.
PETRI & PAULI.

DNO. NICOLAO Biegers /
DNO. DANIELI Amberg /
JURATIS ibidem.

Dominis Patronis ac Promotoribus
meis æternum colendis se-
dicat atq; consecrat

BERNHARDUS Dissen:

॥ ४ ॥

I Gnem altaribus Vestris offero PATRONI
MAXIMI, testem ardoris & submissæ erga
Vos observantiæ, qvâ animus mihi calet.
Non potuit ille diutius sub cineribus latere im-
maturus licet sit, & ad splendoris Vestri radios
caliget. In Vesta tamen benignitate omnis
mihi spei compendium est. Ab hac ille sibi
pabulum, ab autoritate Vesta patrocinium, à
splendore Vestro lucem promittit. Neque e-
nim ulla meriti mei fiducia accensus est. Vobis
ille debet, qvod in lucem prodit, mihi qvod
exiguus est, nec Vestrorum meritorum men-
suram implet. Qvod si cotingat eum majo-
rem aliquando fieri, Vobis suam tunc magni-
tudinem, ut mihi nunc exiguitatem, ac-
ceptam referet. Noluit interim, ut ut exi-
guus, diutius in obscuro esse: qva in re in sola-
tium mihi vergit, qvod omne magnum ali-
quando parvum fuit, & contenta fœpefci-
til-

A 2

til-

tilla vastum excitavit incendium. Ego suf-
ficientem propositi mei fructum mihi tulisse
videbor, si qvalemq; hoc meum munuscu-
lum, PATRONI OPTIMI, Vos certiores
fecerit, metotum in eo esse, ut me industriâ
& observantiâ Vobis probem, dignusq; ali-
qvando reperiar, qvi adminiculante Vestro
favore & munificentia in Patriæ emolumen-
tum aliquid conferre possum. Date interim
obnixe petenti locum inter circumfluentes
Vos continuò Clientes, & permittite, ut ju-
re aliquo mevocare ausim.

*Magnifici, Plurimum Reverendi
ac Nobilissimi Vestri No-
minis:*

Devotum Clientem

BERNHARD Olffel

Cum



Cum Deo
EXERCITATIO PHILOSOPHICA
DE IGNE.

I. Nitium hujus disquisitionis merito facimus ab origine ignis. Posset quidem hæc quæstio supervacua videri, cum ignis communiter pro elemento habeatur. Quemadmodum itaque de terræ & aquæ primâ origine quæri non solet, utpote quæ à Deo per creationem initio producta sunt, ita hic quoque illa disquisitione supersederi posse videtur. Hoc vero non obstante, dicimus ignem ab initio à Deo non creatum, sed deinde vel naturæ continuo laboriosæ actione, vel humanâ industria producendum esse. Neqve enim satis causæ habemus, cur illo m sententiam moremur, qui ignem pro elemento habent.

II. Nec est, ut dicas omnes omnino corporum naturalium species actua Deo creatas esse. Plurima

A 3

sane

Ego suf-
i tulisse
inuscu-
rtiores
dustriâ
q; ali-
lestro
men-
terim
ntes
t ju-

Cum



sanè tantùm in principiis suis creata sunt, multa quoque
humani artificii industria deinceps prodierunt. Quis
dicat pulices & pediculos humanos à Deo actu creatos
esse. Illa enim animalcula ex putri & corrupto corpo-
rum humore oriuntur. Adamus autem & Eva, cum
crearentur, physica non minus, quam morali perfectio-
ne eminebant. Ita nascuntur adhuc hodie innumeræ
insectorum species ex diversa putrefactorum corporum
mixtura, quos omnes in principio à Deo creatas esse, ne-
mo facile affirmaverit. Consuli hic possunt Aldrovan-
dus, Gœdartius & Redus de insectis, apud quos facile
tantum reperietur, quod dubitanti scrupulum adime-
re posse.

III. Quomodo absoluta creatione multa quoque
corpora ab humana industria originem suam traxerint,
apparet ex vino, musto, oleo, caseo, cerevisia &c. Vi-
tes enim Deus produxit per creationem, non vinum, o-
leam non oleum, vaccam non caleum, frumentum non
cerevisiam. Elucescit tamen ejus majestas & omnipo-
tentia ex eo quoque, quod vitem, oleam & frumentum
istis partibus & organis instruxit, ut inde tam nobiles ge-
nerisque humano utiles liquores oriri potuerint.

IV. Ut hæc ad præsens negotium applicentur, di-
co rursus ignem creatum non esse, sed deinceps vel solâ
naturæ sibi relictae operatione, vel accendentibus huma-
nis manibus ortum esse. Utrumqve explicandum
est.

V. Pri-

quoque
Quis
creatos
corpo-
cum
rectio-
neræ
rum
ne-
van-
cile
ce-
ye
int,
Vi-
o-
on
o-
m
ge-
di-
solâ
ma-
dum
Pri-

V. Primum ita expediemus. Instruxit Deus T.
O. M. hoc universum innumerabili corporum varietate.
Naturam in hac corporum multitudine continuo post
creationem laboriosam constituit, & ab eo semper con-
servavit per actuosum aliquem motum si non sensibili-
um, certe insensibilium particularum. Si itaque con-
tingat ex concursu quarundam partium existere furio-
sum aliquem, & cum attritione ac disgregatione con-
junctum motum in subtilioribus partibus, vel calor, vel
ignis aderit, calor si particulæ agitabiles magis fuerint
terrestres & langvidius motæ; ignis, si fuerint volatilio-
res, & vel celerius in poris suis moveantur, vel prorsus
inde egressæ in aere adhuc motum suum continuent.

VI. Ex ejusmodi concursu corporum heteroge-
neorum oriri posse motum, & ex motu ignem variis
experimentis & observationibus probatur. Vulgo no-
tum quidem, hic tamen prætereundum non est, si cal-
ci affundatur aqua, etiam frigidissima, ingentem oriri ca-
lorem & effervescentiam. Idem probatu facile est in
aqua forti, & ramentis ferri. Licet enim frigidissima
ad tactum sit utraque materia, tamen, si confundantur,
brevisimo temporis spatio tantum concipiunt fervo-
rem, ut, si angusto vase contineantur, illud vix mani-
bus teneri possit, & stupenda cum indignatione ebulli-
ant, furios moliantur, & occlusa vasa cum impetu dis-
rumpant.

VII. Ceterum non est, ut dicas, hoc modo calo-
rem

rem tantum, non autem ignem produci. Neque enim calor, & ignis nobis differunt aliter, quam gradibus celeritatis & vehementiae in motu: Unde, si calor sit intensior, degenerat in subiecto capaci in ignem. Sic idem sulphur, quod à fornace calida remotius paulo possum incalescit tantum, ardere incipit, si calidæ fornaci immediato contactu admovetur, motumque ejus promptius concipit. Similia experiri licebit, si confundas (1) oleum tartari & spiritum vitrioli (2) butyrum antimonii & spiritum nitri (3) aquam fortem & oleum tartari. His in casibus semper excitatur mira effervescentia & calor. Imo, si butyro antimonii magna satis copia spiritus nitri infundatur,flammam emicare videbis.

VIII. Sed dices: Si ignis in tali particularum motu consistit, unde ille motus est. Nihil enim in natura movetur à se ipso, sed quicquid movetur, illud moveatur ab alio. Quæstio hæc, fateor, plus habet difficultatis, quam quis forte existimaverit, ideoque ab accuratiis Physicis diligenter est excussa Relictis suo loco & suo in precio aliorum sententiis ad rationem dandam sequentibus hypothesis viam nobis sternimus.

IX. *Prima* esto. Nullum corpus adeo solidum & densum esse, quin habeat suos poros & interstitia minimum insensibilia. *Secunda*, Dari materiam longe subtiliorem aere nostro, omnibusque iis corpusculis, quæ in sensus nostros incurront. *Tertia*, Nusquam in hāc mundi universitate dari vacuum, quin potius ejus possibili-

bilitatem simpliciter repugnare. *Quarta* Omnes itaque corporum poros etiam angustissimos subtili aliqua materia plenos esse. *Quinta* Hanc Materiam raro adeo quietam esse, quin aliquem nobis plerumque insensibilem motum habeat. *Sexta* Hunc motum interdum invalescere, vel propter novam pororum dispositionem, vel propter motum à vicinis corporibus excitatum. *Septima* ex mixtura diversorum, in primis specie corporum, protinus aliam texturam pororum oriri. *Octava* Dari subtilissimam aliquam auram, quam ætheream vocamus omnia corpora permeantem, in aliis tamen corporibus impetuosis propter poros ita dispositos, in alios vero languidius sese moventem.

X. His præsuppositis dico in calore orto ex confusione calcis & aquæ frigidæ, & reliquis experimentis § VI. & VII. resensitis propter novam partium mixtram novam pororum dispositionem oriri, eamq; ita comparatam, ut subtilis aura ætherea expeditius massam illam perfluere, inque ea liberius tumultuari, contentasq; insensibiles in poris partes in consensu sui motus trahere possit. Hinc non potest non sequi partium quædam lucta, disjectio, separatio, trajectio, ebullitio, tenuiorum expulsio, quam fumum vocamus, & quicquid denique effetuum in igne deprehenditur. Sed quæres nunc? Unde subtilis illa materia de qua §. præced. Hypoth. octava dictum est, motum suum habeat? Respondetur à natura tanquam motrice universalis Deo proxime sub-

B

ordi-

WC e-
dibus
or sic
Sic
po-
ci
n-
)



ordinata. Sed unde hæc? Dico à Deo? Siccine recta via ad primum motorem itur?

XI. Superest alterum membrum hujus disquisitionis, videlicet, quomodo humanâ industria potuerit produci ignis. Initio itaque casus aliquis huic rei occasionem dare potuit, sicuti forte deprehensum est vehementem durorum corporum attritionem calorem vel ignem producere. Ex eo itaq; homines ignem hoc modo producere didicerunt, interque alias adhuc Indi hodie duo sicca ligna ligamentis firmiter constringunt, & intra ea baculum itidem siccum velocissime circumvolvunt, atqve sic ignem eliciunt. Eodem pacto, si nullus omnino ignis in mundo esset adhuc hodie posset produci.

XII. Probant hunc modum varia experimenta ex pluribus pauca adduxisse hic sufficit. Qui comprehenso manibus fune celeriter juxta eum ex alto loco descendit, ingens, & tandem intolerabile caloris incrementum sentiet, adeo, ut si locus, è quo descendit, satis sublimis sit, manum ad ossa usque carne nudaturus sit. Si ligno torno celerrime circumacto aliud quietens applicetur, paulo post sequitur adustio, & tandem inflamatio. Hinc currus recentes pinguedine nondum inuncti, si celerrime moveantur, flamمام concipiunt. Item, si quis gladium lapidibus allidat, aut in tenebris filis em in platea lapidibus strata strenue projiciat, videbit varias hic atqve illic exsiliere scintillas, quod ipsum etiam observatur, si equi ferreas soleas gerentes celeriter per ejusmodi

modi plateas decurrunt. Quomodo communiter per attritionem chalybis & pyritis ignis excutiatur, vel pueris notum; magis vero mirum est, quod si in tenebris saccharum cultro scalpatur, & noctu mare remis vehementer verberetur, exsilientes scintillæ conspiciantur quæ tamen an ad ignem referendæ sint infra §. XXVI. patet. Et idem forte sentiendum est, de iis scintillis, quæ concussis nonnullorum animalium, nempe, equorum, felium, & canum quorundam pilis observantur, quod ipsum etiam hominibus nonnullis cute aut pilis manu vel pectine sollicitatis contigisse experientia testatur. Tantum de origine ignis.

XIII. Ex dictis tandem appareat, naturam ignis non describi melius, quam per motum, & causam ejus esse posse omne illud, quod motum illum producere potest. Non intelligimus tamen indifferenter quemlibet motum. V. gr. motum secundum rectam lineam, qui est in luce, vel vertiginis, qualis est in torno, vel translationis, qualis est in pila reticulo impulsa, &c, sed eum qui (1) fit in particulis insensibilibus in poris corporum latentibus. (2) qui cum disgregatione & tumultuaria partium trajectione conjunctus est. Itaque ignis nihil aliud erit, quam subtilis illa materia in poris corporis cum disgregatione vehementer agitare.

XIV. Non ignoramus quidem, particulas insensibilium accuratores Physici subinde mentionem faciunt in resolvendis difficillimis naturæ phænomenis,

ab omnibus concoqui non posse. Nec latet nos illud E-
ruditi alicujus Viri dicterium. *Ubi desinunt particu-
lae sensibiles, ibi incipit fingendi licentia.* Cœterum non
est, ut scommata moremur, quibus ratio non subest.
Qui arborum & animalium insensibilia incrementa &
decrementa, qui aquarum tardissimam consumtionem
per insensibiles exspirationes, qui muscarum aliorumq;
insectorum per politissima vitra deambulationes, & mi-
croscopiorum stupenda phænomena sine præjudiciis in-
spexerit, facile nobiscum consentiet. Interim litem pro-
pter dissensum nemini movebimus, utpote non ignosce
ritatem stomachi patrocinio non indigere. Ultimur in-
terim ea libertate, quæ in Philosophia merito licita esse
debet, si nihil doceatur, quod vel analogiæ fidei Christi-
anæ, vel rectæ rationi contradicat. De cœtero, si proli-
xius hic excurrere liceret, demonstratu haut difficile esset
per formas substantiales (animam rationalem excipi-
mus,) vim naturæ plasticam, occultas qualitates, sym-
pathias & antipathias licentiae fingendi fræna multò ma-
gis, quam per insensibiles particulas laxata esse..

XV. Sed redimus ad priora. Motum in omni igne
esse, non probatum facilius, quam eundo per varios ignis
effectus, eosq; ex hoc principio explicando. Ex qua e-
nim hypothesi promptissimâ ac facillimâ methodo se-
quuntur omnes conclusiones, de ea moraliter statim
certi sumus, eam esse veram, aut minimum aliis præfe-
rendam.

XVI. Ef-

XVI. Effectus itaque ignis potiores sunt (1) Ca-
lefacere: Ratio est, quia similem motum in alia corpo-
ra transfert. (2) Accendere. Ob eandem causam. Fitta-
men illud tum demum, invenit corpus partes habens vo-
latiliores. (3) Dolorem excitare: quia contiguo cor-
pori suum quoque motum imprimit, qui viventibus
propter disgregationem & inde sequentem solutionem
continui molestus est. (4) Aquam ad ebullitionem
concitare, quia motum in ea excitat. (5) Aerem ra-
refacere, quia excitato intra spongiosam ejus texturam
motu partes ejus disgregat, & dispellit. (6) Metalla li-
quefacere, quia partium quiescentium quietem, & rigi-
darum rigorem tollit, easque in motum suum conlen-
tire jubet. (7) Aquam in vapores redigere, quia lu-
bricas ejus partes excitato motu separat & subtilio-
res volatilioresque reddit. (8) Exsiccare, quia lubricas
humorum particulas attenuat, & expellit, (9) Aqua ex-
stingui, quia flexiles ejus particulae furorem ignearum
velut injectis compedibus compescunt, (10) Deficiente pa-
bulo deficere, quia motus non potest subsistere nisi n
mobili. Tale autem pabulum esse debet, cuius partes *sunt agitabile*
nimis fixæ & solidæ sint, ignem non concipiunt. (11) Luce-
re, quod tamen non de omni dicimus. Is autem, qui
lucet, propterea lucet, quia motus ejus in superficie cor-
poris ~~ad~~ ~~ad~~, ut libilem circumfluentem ma-
teriam ipsi aeri intermixtam ad lineas rectas propelle-

re posit. Ex his de reliquis omnibus judicium fieri potest.

XVII. Ex dictis appareat; ubicunque materia est, illi, quem requisivimus, motui idonea, ibi etiam igni locum non esse negandum. Non dubitamus itaq; in sideribus quoque saltim aliquibus eum esse; in primis vero in Sole, cui nonnullos calorem non formaliter, sed eminenter tribuere miramur. Profsus autem à vero abludunt illi, qui sub concavo lunæ ignis patriam concipiunt, ubi nec pabulum habet, nec oculis appetet, ut taceam reliqua, quibus hæc sententia dudum expugnata est.

XVIII. Alii non minori audacia in centro terræ ipsi locum assignant, sed rationibus non satis solidis. Objiciunt quidem montes ignivomos. Sed quid illi cum centro terræ commercii habent? Illud enim (quod ex Mathematicis supponimus) abest à nobis minimum 860 milliaribus Germ. Quis vero credat ignivomorum montium focum eo usq; extendi. Nimis longæ sunt ambages, & longè compendiosius accensio illa, & quicquid vulgus hic miratur, explicari potest ex iis, quæ § V.VI. & VII. dicta sunt.

XIX. Hinc porro patet, quid de Kircheri opinione sentendum sit, quam cum patribus nonnullis sibi communem esse ait Mundo lubet. Lib. II. Cap. XVIII. § III. Ignem illum centralem terræ esse infernum. Audax

dax certe persuasio. Quis enim illum ignem elementarem fore, qualem nostrum esse putat Kircherus, crediderit. Præterea dubitamus, an non nimis angustum concipiat illum carcerem pro tot corporibus damnatorum, qui vel ante nostra tempora vixerunt, vel ad consummationem seculi usque post nostra vivent. Denique videat Kircherus, quomodo hanc suam sententiam, cum substantiali mundi interitu cui procul dubio adstipulatur, conciliare possit. Satiis itaque est hic abstinere, & cum Scaligero dicere

Nescire velle quæ Magister maximus

Docere non vult, erudita inscitia est

Locus itaque ignis tandem erit, ubicunque materia est adeo subtilis & agibilis, ut motum illum, quem ad ignem requisivimus, concipere & servare aliquantulum possit.

XX. Nolim itaque ignem inter elementa referre & telluri nostræ proprium statuere. (1) Quia elementa omnia à Deo creata sunt oportet, siquidem ex iis deinde operante naturâ reliqua omnia orta sunt. An autem ignis à Deo actu creatus sit, admodum dubium est, ut supra diximus. (2) Non dubitamus in reliquis etiam corporibus mundanis, nempe sideribus, minimi m fixis, etiam ignem esse. (3) Nullum elementum possumus opera produci, ut ignis. (4) Ignis nuspianum habet determinatum suum locum. (5) Nullo loco reperitur purus & simplex, sed requirit mixturam partium

ter-

terrestrium & Oleasorum, quemadmodum fuligines
flammarum testantur.

XXI. Sunt quidem, qui purissimum & elemen-
tarem ignem sibi invenisse visi sunt in scintillis ex per-
cuso per pyritem chalybe emicantibus. Cœterum, si
microscopia adhicerent, facile se deceptos faterentur, ut-
pote per quæ appareat, scintillas istas nihil aliud esse,
quam ab alat ferri particulas, celerrime rotatas, & in he-
terogeneo aëre in rotunditatem instar granulorum plum-
beorum, quibus in bombardis uti solemus, convolutas.
Experientia hic cuilibet magistra esse poterit, si dictas
scintillas candidâ chartâ exceptas microscopio quæsive-
rit. Multo minus autem hic audiendi sunt illi, qui con-
cedunt quidem, ignem, quo nos utimur, non esse pu-
rum, dari tamen forte alicubi ignem purum & clemen-
tarem. Quærimus enim elementa, non prout in ho-
minum cerebro, sed in hoc naturæ amphitheatro inveni-
untur. Et quid obest, si hac fingendi licentiâ uti licet,
quo minus ligna, aut lapides inter elementa ponamus.
Licet enim hæc corpora nusquam pura & simplicia apud
nos inveniantur, possunt tamen forte in occultis nobisq;
incognitis locis pura esse.

XXII. Communiter dividitur ignis in carbonem
accensum, flamمام & lucem. Ad carbonem ac-
censum refertur etiam metallum aut lapis candens. Est
itaque ille ignis nihil aliud quam solidior aliqua & den-
sior

fuligine
elemen-
ex per-
rum, si
ntur, ut-
id esse,
in he-
plum-
lutas.
licitas
ive-
con-
e pu-
men-
i ho-
veni-
icet,
mus.
apud
bisq;
onem
m ac-
s Est
den-
fior

Si or materiæ massa, quæ disgregativum motum in poris suis concepit, qui per solidam ejus texturam aliquandiu quasi repens durat. Cumque motus ille non inveniat materiam satis subtilem, nec poros satis patentes, non ejicit in spatum circumstans aliquas partes volatiles, quæflammam constituere possint.

XXIII. Flamma itaqve nihil aliud est, quam materia subtilior motu agitata, ipsumqve motum, dum in aerem erumpit, in itinere aliquantis per retinens. Hinc omnia illa corpora, quæ laxiorem habent partium suarum texturam aut spirituosiores partes, faciliter flammam concipiunt, ut stupa, lignum admodum porosum propter priorem, spiritus viai propter posteriorem catus. In primis pingvia accommodatisima sunt ad dandum flammæ nutrimentum. Hæc enim leviora sunt ordinarie aquis, laxioresqve texturam habent, qvod vel ex eo patet, quod aquis innatant. Præterea non constant partibus tam lubricis & flexibilibus, quam aqua, unde hæc partes flammæ in furore constitutas comprehendit & quasi ligat. Quod si tamen ea paulo parcius aspergatur, flammam potius animat, quam extinguit, ut vel Fabri ferrarii norunt. Hoc enim in calu exiguae aquæ guttæ protinus in vapores resolutæ ventilacionem aliquam producunt, quæ m'flammam animare notum est. E contrario oleum justo copiosius flam-

C

mæ

mæ affusum eam extinguit. Quies enim, quæ in partibus olei ad calorem nondum excitatis est, prædominatur motui in igne, qui non habet sat virium ad nimiam olei copiam in consensu sui motus protinus trahendam.

XXIV. Ignis qui in carbone accenso est, solet longe calidior esse flammā. Ratio est (1) qui carbo est corpus solidius & consequenter plures partes mobiles habet (2) quia ibi vis unita, & per consequens fortior est, cum partes motæ viciniores & compactiores sint: In flamma autem laxius junctæ sunt. Imo nonnullæ flammæ adeo laxam & raram habent partium suarum texturam, ut vix sensum afficiant, ut contingit in igne fatuo, igne lambente, & imprimis in sterili illo fulgure, quod vocamus das Wetterleuchten de quo tamen vulgus refert, quod segetem adurat.

XXV. Potest tamen contingere, ut flamma ex certa materia orta & flatu in conum quasi concentrata ac in puncto unita longe fortius agat carbone. Hoc enim in casu partes acutæ admodum & celerimè motæ uniuntur, multiplicatisque ictibus obiectum feriant. Norunt hoc artifices illi, qui subtilia vitra ad flammarum lampadis flatu inconsumunitam conflare sciunt, Pertinet huc, quod Kircherus Mund. subterr. Lib. IV. sect. II Cap. XI. § 2. recenset. quit, flammæ conflatoria corium aut tenuem ligneam tabellam interposueris, videbis eam mox iis inof-

inoffensis virtute suâ penetrativa pertransire , atque ex oppositâ parte in metallica & vitrea corpora solum agere . Hinc promtè explicatur natura illius fulminis , quod solet in violata carne ossa confringere , salva vaginâ gladium comminuere , illæso marsupio pecuniam liquefacere . Ejusmodi enim fulgur è nube fulminatrice excussum apice suo corpora spongiosiora pervadit , & , ubi digniorem adversarium invenit , in eum efficacius grastatur .

XXVI Quod concernit lucem , quam tertiam ignis speciem constituunt , satius putamus , eam ad ignem non referre . Licet enim in ea motum insensibilium quarundam particularum cum omnibus , qui accuratius de hac materia scripsierunt , agnoscamus , non est tamen ille motus disgregativus , qualem ad ignem requirimus . Iusto largior itaque vocis acceptio videtur esse , quando non nulli insectis noctu lucentibus , in ligno putrido in squamis piscium quorundam noctu lucentium ignem esse dicunt . Sufficit ad lucem motus aliquis , quem tremulum vocare licet , in superficie corporis lumino si , circumfluentem subtilem materiam ad lineas rectas propellens , qua de re prollxius agendi hic locus non est .

XXVII Colorem , si quem habet ignis , eum a partibus coloratis , in quibus movendis occupatus est . Sic , si ellychnium facias , & oleo ad-

misceas sulphur, habebis flammatam cœruleam; si
æruginem, viridem; si minium, rubrum, si alia
mineralia, alios. Talis diversitas in ipsis candelari-
um nostrarum flammis animadvertisit. Nam ubi
flamma propior est ellychnio ibi propter pinguedi-
nem copiosiorem ac densesorem, & nondum satis
subactam sub cœruleo eolore luceat. In medio ubi
flamma victrix evasit partesque volatiles valide dis-
persit & separavit, candida est, vividumque lumen
spargit. In summitate seu apice colliguntur terre-
stres fulgines, parresque crassiores, quam ut tanta
celeritate consumi possint, exque in aerem avolant
& sunt illæ, quæ super impositam chartam nigredi-
ne tingunt.

XXVIII. Motus ignis, quem localem vocant
(nobis autem omnis motus localis est, nec aliud da-
tur) sequitur translationem materiae, in qua ignis
occupatus est. Sic ejecta e mortario bellico ma-
chinâ pyrotechnicâ (eine Bombe) ignis, quem con-
cepit ejus motum sequitur. Flammæ autem peculi-
are est, quod illa apice suo semper ad superiora ten-
dat. Non est tamen illud ab intrinseco, sed ab ex-
trinseco. Nimirum in fluidis omnia illa ascendunt,
quæ leviora sunt illis fluidis. Cum itaq; aereæ parti-
culæ flammatam circumstantes graviores sint iis, quas
flamma agitat, mirum non est, hanc ascensum mo-
liri. Non potest tamen avolare, nisi simul subtilis
ali-

aliqua materiæ portio avolet, in qua motus ille ducet.

XXIX. Duratio Ignis pendet a conditione palpuli. prout illud fuerit vel solidum ac densum, vel volat ile & agitabile. Eo consumto & dissipato ignis cessat. Ab extrinseco cessat affusa aqua. Neque enim majorem hostem habet aquosis liquoribus, utpote quorum partes propter lubricitatem suam repugnant ipsius motui. Fulminaris tamen flamma tam furiosum habet motum, ut lubricas aquæ particulas facile vincat. Lacte autem facilius delentur, utpote cuius partes magis sunt viscosæ & consequenter motum illum validius compescunt. Dantur etiam ignes artificiales, qui aquis non delentur sed in iis ardent. Ratio eadem est. Adhibentur enim ad eos talia, quæ furiosum admodum motum, facta incensione concipiunt, qui aqueis partibus fortiter luctatur.

XXX. Negligendum hic non est pondus ignis. De eo tacuit antiquitas. Prodiit autem nuper in Icenam eleganti tractatu Illustris Boyelus, & demonstravit, sed multis experimentis, ignem &flammam posse reddi ponderabilem. Res autem eòredit: Subtilissimas illas partes, quarum motum ad ignem nos requisivimus, posse humana industria colligi & collectas in aliquo corpore ponderari. Sensus hunc esse statim docebit primum experimentum, quo Lectorem

rem brevitatis causa remittere cogimur. Vid. itaq;
ipse Boyl.

XXXI Nunc ordo requireret, ut ad specialiora descendere mus. Atque sic agendum eslet de ignibus subterraneis in specie; de fulmine & reliquis meteoris signeis; de auro fulminante; de terræ motibus; de Campo phlegræo Italiæ, seu foro Vulcani. De ignibus perpetuis, in subterraneis cuniculis, ut memorant, inventis; de thermis; de vitrificatione, quæ est ultimus ignis conatus; de as besto quod perflammam corrupti non potest; de naphta, pulvere pyrio, & machinis pyrotechnicis. De his quidem jucundæ occurrerent observationes & experientia. Sed proposita brevitas hic nobis terminum figit.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-629361-p0026-8

DFG

Farbkarte #13

B.I.G.

Black
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Centimetres
Inches

N. J.
EXITATIO
SOPHICA
De
NE
Quam
nasio Luneburgensi
ÆS IDE
LOHMEIERO
iestr. Inspectore
Prof. Publ.
publicæ Eruditornm
exponet
ARDUS Olfen/
nburgensis.
artii Anno 1680.
MBURGI,
REBENLINI, Senatus
nolar, Typogr.

117

